



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

10. De Marchionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



tus Romanus. Longobardi itaque eo tempore Italiam inuaserant, à Narsete in eam Prouinciam euocati: in qua Ducatus quatuor insignes, & primarios constituerunt. Nam Foro Iulij capto, primum Ducatum Foroiuliensem Alboinus primus Rex Longobardorum instituit, quem Guisulpho nepoti concessit Anno salut. D L X V III. Deinde idem Rex Alboinus in Vmbria cepit Spoletum: in qua secundum Ducatum Spoletanum creauit, & in eo Ducatu Faroaldum constituit, qui fuit Primus Dux Spoletanus Tertius Ducatus fuit Beneuentanus. Nam Autharis, tertius Longobardorum Rex Beneuento expugnato, totum Samnium in Ducatum formulam redegit, & Beneuenti Zononem primum Regem instituit Anno Domini D. L X X V I I I. teste Sigonio. Quartus Ducatus, vt testatur Blondus, fuit Taurinensis. Fuerunt deinde alij Ducatus instituti, videlicet, Perusinus, Romanus, Tuscus, Campanus.

Carolus Magnus, deuictis Longobardis, eorum Regnum, in Italia sibi vendicauit, & Ducatus, à Longobardis, in Italia constitutos, Patrijs uiris concessit. Et cum Longobardi antea Ducatus darent ad vitam eorum, quibus dabant, non perpetuo ad eorum posteros transmissos, nullum in eis uis filijs, & nepotibus, concedebant, vt Blondus scribit. Carolus Magnus cepit dignitatem concedere, eo iure, vt transfret etiam in posteros, ita tamen, vt Duces iuramentum sese Imperatori obligarent. Et hinc nati sunt feudorum usus: quod institutum seruauerunt postea qui Carolum Magnum Imperatores consecuti sunt, & Germanorum Reges. Vnde temporibus Caroli Magni, & posteriorum eius, & deinde Germanorum Regum creati sunt multi Duces per Italiam, Galliam, & praesertim Germaniam, in qua sunt multi ducatus, quorum est origo antiquissima.

Tertio quaeritur, An Dux honoris, & dignitatis praerogatiua sit maior Marchione, & Comite? Respondeo, maiorem esse: nam si secundo Feudorum tit. Quis dicatur Dux. s. secundo. tres dignitates ponuntur, & primo loco Dux, deinde Marchio, & tertio loco Comes numeratur. Coram Rege Dux manet cooperto capite, & subsellium habet, cum tamen Marchiones, & Comites aperto capite, & stantes sint. Aliqui item Duces diadema & coronam habent, quam accipiunt cum inaugurantur.

Quarto quaeritur, An Duces sint Regibus subiecti? Respondeo, inter Duces quosdam esse, qui supremam in ciuilibus, & temporalibus potestatem, & iurisdictionem, instar Regum habent: & hi Regibus subiecti non sunt. Alij Duces sunt Regibus subiecti, tales sunt multi Duces in Gallia, & Duces in Castella, Aragonia, Portugallia, Betica, item in Sicilia, in Regno Neapolitano, in Anglia & Scotia. Primi generis Duces in suae ditionis locis id possunt, quod est Regum, quia alium in ciuilibus, & profanis superiorum nec habent, nec agnoscunt. Secundi uero generis Duces supremam non habent potestatem, sed restrictam, tantam uidelicet, quantum ipsis Reges concedunt: unde ea non possunt, quae sunt Regibus, vel supremis Principibus reseruata.

Quares, utrum ea possint vi praescriptionis, aut consuetudinis longo temporis decursu firmatae? Respondeo, non posse, quia noluerunt Reges, ut ea sibi Duces acquirerent, nisi ipsorum priuilegio; quare ius non habent iudicandi, vel gerendi bella, cudendi monetam, vectigalia imponendi: Immo etiam si Rex liberam illis facultatem concedat, qua vectigalia imponant, ea facultas finita, & extincta censetur, si semel imposuerunt, nisi Rex aliud expresserit. Quo fit, ut nequeant illi subditis noua vectigalia constituere, vel antiqua augere.

Quinto quaeritur, Quorumnam sit Duces creare? Respondeo, Imperatorum, Regum, & Romanorum Pontificum, praesertim in locis, & prouincijs Romanae Ecclesiae: temporali potestate subiectis. At uero quidam Duces sunt qui electione, & suffragio constituuntur, ut Dux Venetiarum, Dux Genuesium: hi uero Duces suprema potesta-

te, & iurisdictione carent, quia ea est penes Rempublicam, siue Senatuum: habent tamen praerogatiuam honoris in Senatu cogendo, & dissolueno, in sedendo, & in alijs pietisque.

## CAP. IX.

## De Marchionibus.

Primo quaeritur, Quinam sint & dicantur Marchiones? Marchio dictus est à marchia: siue marchia: & marchia, limitem significat à marchi Germanicae uocabulo, quo limes designatur. Regino libro secundo Chronici. in Anno D C C L X X X V I I I. Post bac Carolus, inquit, Ratiobonam uenit, ibique marchas, & fines Baioariorum disposuit. Aimonius libro quinto. Ludouicus Neustriam marchis suis habere, & Carolemannus Burgundiam & Aquitaniam marchijs suis obtinere. Albertus Craetzius in Vandalia, libro tertio, capitulo decimo sexto. hoc uocabulum existimat deductum esse à uulgaris Saxonum lingua, apud quos marchia significat districtum unius ditionis. Scribit Paulanias, libro decimo, Gallos equestrem pugnam instituisse, ut singulos equites selectos equis sequerentur alij duo, qui domini equo occiso, suum submitterent, quique Domino, & sibi inuicem auxilio, & supplemento essent: Et hanc equestris pugnae institutionem uernaacula lingua ipsi Galli uocant Trimarchisiam, quod singuli equites constarent ex tribus. Equum enim ipsi marcham appellant. Vnde nunc etiam Brittones, qui praesertim Gallicam retinuerant, simul & Britannii Montani, quos Angli VVallos nominant, equum, marcham dicunt. Et ita in l. Baioariorum habetur: Si equus est, quem march. dicimus: & in alia lege: Si quis aliquem de equo suo deposuerit, quem march VVallo uocant. Et in l. Alemannorum: Si talem equum inuolauerit, quem Alemanni march dicunt. Marchio igitur est is, qui limitum certo regni, cum imperio praesit. Est enim uox Francorum & Germanorum, Aimonius libro quinto, capitulo undecimo. Reliqui Marchiones qui fines regni tuentur, & hostium arcere incursus. Aimonius libro quinto. Robertus Comes Parisiorum, frater Odonis Regis, Marchio Francorum uocabatur. Albertus Craetzius in Vandalia, Marchiones appellat, Praefides prouinciarum, & nomen ait esse Saxonicum, & ab alijs uariationibus usurpatum. Sic, inquit, dictus est Marchio Misnesis, Palensis, Syriae, Morauia in Germania; & in Italia, Marchia Taruina, Anconitana, Mantuana, Ferrariensis. Ex his intelliguntur, quae interpretes de Marchionibus tradiderunt, in libro secundo Feudor. titul. Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, habetur. Qui uero de Marchia à Principe inuestitus est, Marchio dicitur. Dicitur autem Marchio, quia marchia, ut plurimum iuxta mare sit posita. Alciatus in Traict. de singulari terramine, capit. trigesimo secundo, ait, Marchionis nomen Gothicum esse, ac proinde ualere, ac si Magistrum equitum dicamus, quia marcham Germanicum quum dicunt, & marchare, equitare. Vldaricus Zafius in traict. de feudis par. quint. principali numer. quarto. putat, marcham, uocabulum esse Gothicum, & significare Praefectum limitum. Romani etiam Imperij limites constituerunt, in quibus aduersus hostes milites, & eorum duces excubabant: quibus concessum est, ut sibi acquirerent, quae de hostibus caperent. Sed certe Marchionis nomen est, non antiquum, sed nouum à Longobardis, aut certe post Feudorum iura, & usum inuectum: is enim, qui in Prouincia iuxta mare sita praeficiebatur, Marchio uocari cepit. Postea uero factum est, ut Marchiones dicantur, qui vni ciuitati, vel oppido praesunt.

Secundo quaeritur, Utrum Marchio, honoris & dignitatis praerogatiua sit Comite maior? Ex e. 1. r. Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, li. 2. Feudorum constat, Marchionem Comiti praecellere: primo enim loco ponitur Dux, secundo Marchio, tertio Comes. Ordinis enim litterae ratio

habe-



habetur in Iure, nisi aliud exprimat, *Et ita Baldus & ceteri Iuris Interpretes*. At teste Chaffaneo in *Cathalogo Gloria mundi. part. quinti. Considerat. 47.* in Germania & Gallia Comes Marchionibus præferuntur: quod verum necne sit in vniuersum, dubium mihi est: id enim fortassis in quibusdam Comitibus locum habet: cuiusmodi sunt Comes Flandriæ in Belgio, Comes Campaniæ, & Comes Burgundiæ in Gallia, & Comes Palatinus, vnus ex Electoribus Imperatoris: In Italia vero, Sicilia, Hispania, Anglia, Scotia, Regno Neapolitano Marchiones Comitibus anteferebantur. Si quis item Marchio sit simul, & Comes, prior est eo, qui solum est Marchio: nam quemadmodum duo vincula arctius ligant quam vnus, sic duæ dignitates potiores sunt vna. *Isaon in l. re conuicti. ff. de Legatu. 3. num. 17. & seqq.*

## CAPVT X.

## De Comitibus.

Primo quaeritur, Qualem dignitatem Comes habet? Respondeo, Comitum nomen aliquando esse generale: vnde Comes dicebatur, qui Imperatorem vel Regem comitabantur in bello. Fouere item Comites sacrarum largitionum, & rerum priuararum Comites, & Sacri Palatii, & Comes Orientis. Item Comes erant, qui Prouincias administrabant. Sunt & Comes Palatii, qui ab Imperatore, vel à Romano Pontifice ius, & potestatem habent aliquos legitimis natalibus restituendi, vel creandi tabelliones, vel dandi tutores. In præfenti vero, Comes est, qui specialem dignitatem habet ab Imperatore, Rege, vel Romano Pontifice. Vnde capit. primo. titulus. *Quis dicitur Dux, Marchio, & Comes, lib. 2. Feudorum*, habetur: *Qui vero de aliquo Comitatu inuestitus est, Comes appellatur.* Et Comes dignitatem vna cum administratione, & iurisdictione habet. Comes item Baroni præfertur, & Regalem dicitur dignitatem habere, hoc est, quam Rex, vel Princeps concedere solet. Chaffaneus in lib. sup. cit. *Rex*, inquit, *habet sub se decem Duces: Dux, decem Marchiones: Marchio habet sub se decem Comites: Comes decem Barones: Baro, decem Feudatores.* Sed hæc modo in vsu non sunt, sed sunt, & fuerunt Reges, qui nullos sub se Duces habuerunt: & sunt Duces, quibus multi Comites parent, & alij, qui nullis Comitibus præfunt: & sunt Comites, in quorum ditione, & potestate sunt alij Comites: in his enim dignitatibus, multa vsus, & consuetudo mutauit, & quotidie mutatur: quare consuetudini standum est.

Quæritur, Qui Comitum nomine intelligantur? Comites apud veteres ij dicebantur, quibus pars Imperij cum potestate demandabatur. Vnde Comites appellari ceperunt, qui Proconsules, Procuratores in Prouincias euntes comitabantur: vel Senatus, vel ipsorum Magistratum voluntate, & iudicio erant eorum in publicis negotijs adiutores, & administrati: cuiusmodi sunt Quaestores, Legati, Scribæ, Accusij. Postea vero Comitum nomine Iurisperiti Prouincialium Magistratum Assesores appellati sunt: quos Magistratus arbitrari suo delectos secum deducebant. Vnde Paulus l. duodecima, §. primo. ff. de vacationi. & Immunitatibus: *Comites Praesidum, Proconsulum, Procuratorum, & Caesaris à muneribus, vel honoribus, & civilibus vacant.* Idem etiam in l. *Senatusconsulto. ff. de offi. Praesidis, & l. administrant. ff. de excusat. iur. ele. & l. diem functio. ff. de offi. Assessor. Sueton. de Iulio Cesare. cap. 42. Plinius libro nono, capitulo trigesimo.*

Comites sacrarum largitionum, quorum frequens mentio est in Inscriptionibus variarum Constitutionum in Codice Iustiniano, & Theodosij: ij erant, qui thesauris sacris, id est, Imperatoris, & Augustalibus pecunijs præerant: qui quidem liberalitatis, & donorum curam gerebant: ut docet Cassiodor. lib. 6. de Comitibus sacrarum largitionum: qui etiam dicebantur Comites sacri Palatii.

Comites rerum priuararum, quorum sit mentio in l. 3. C.

de bonis vacantibus. lib. 10. & l. 1. vbi. C. de petito. bonor. subdito. 10. dem lib. erant Gubernatores prius ex substantia Principis, ut colligitur ex Cassiodor. lib. 6. in Formulis.

Comes sacri patrimonij, cuius sit mentio in *l. tri. de offi. Comitis sacri patrimonij in Codice*. is erat qui patrimonium Principis curabat. Cassiodor. lib. 6. in Formulis.

Comes sacri Palatii, præerat Palatio Imperatoris. l. 1. C. de Comitibus sacri Palatii. Cassiodor. ibid.

Comes sacri stabuli, erat equorum præfectus & rector, nunc vulgo Comes stabulis dicitur. Aimonius lib. 3. ca. 70. *Lodegisilus regulum Praepositus equorum, quem vulgo Comes stabilem vocant.* Regino libro 2. eodem anno *Burchardum Comitem stabuli sui, quem corrupte Comes stabilem appellamus, cum elasse misit Classicam.*

Comes militum in l. 1. C. de offi. Vicarij. & l. nemo. C. de Assessor. militibus præerat. Et in partibus Orientis duo erant, vnus per Ægyptum, alter per Isauriam.

Comes horrearum in l. 1. C. de Pistoribus lib. 11. erat Curator pistrini Principis, habebatque mancipia quædam Purgandis horreis adscripta, coquendoque pani Principis.

Comes Archiatrorum l. 1. *Qui à præbita 1190. C. Theodosij*: de cuius dignitate scribit Cassiodor. lib. 6. *Variarum*, vbi dictum munus, & officium explicat.

Comites auri, Comites formarum, riparum, fluminum, quorum omnium sit mentio in lib. 11. §. 12. Cod. Cassiodor. lib. quem proxime ante memorauimus.

Comes commerciorum in lib. 1. de Annona, & caritate. leg. 2. C. *Quæ res vendi non possunt*: is erat, qui negociationes curabat, & commercijs præerat: cui licebat sericum à Barbaris comparare.

Comes domesticorum in l. *destituenda*, C. de Aduocatis diuersor. iudicum, l. *neminem*. C. de decurionibus. libro decimo, præerat domesticis, & vnus erat Comes equitum, alter peditarum.

Comes domorum is erat, sub cuius iurisdictione erant plurimi coloni & ingulini domorum & possessionum multarum, quæ ad Principis patrimonium pertinebant.

Comites scholarum l. 3. C. de offi. Magistr. & extr. tit. de Comitibus. & Tribuni scholarum in C. lib. 12. hierant, ad quos scholarum gubernatio pertinebat.

Ex his perspicitur, quo modo intelligenda sint, quæ de Comitibus scripserunt Iuris interpretes, quæque nos hætenus diximus.

## CAP. XI.

## Quædam generatim de Ducibus, Marchionibus, &amp; Comitibus.

Primo quaeritur, An quæ sunt supremo Principi iure communi reseruatæ, ea possint inferiores Principes, Duces nempe, Marchiones, & Comitibus, vi præscriptionis, vel consuetudinis, sibi acquirere? Respondeo, posse præscriptione, & consuetudine firmata longissimo temporis decursu, cuius initij memoria non extet: alioqui non possunt. Abbas in cap. super quibusdam, de verbor. signif. num. 2. & in cap. vltim. de Consuetudine, Antonius de Imola ibidem. Vnde colligit Panormitanus in prædicto capitulo. Super quibusdam, posse Dominos inferiores, & ciuitates præscribere sibi potestatem, & ius restituendi legitimis natalibus, & famæ: creandi tabelliones, & concedendi aita similia, quæ sunt reseruatæ Principi, si præscriptio sit confirmata longissimi temporis lapsu, quod hominum memoriam excedat. Hoc idem docent cum Abbate Siluester in verbo *Gabella*, tertia, questione secunda, numero quarto. Tabienjis in verbo, *Pedagia*, questione prima, numero secundo, nam præscriptio, & consuetudo longissimi temporis processu munita, cuius initium in memoria hominum non est, ius & titulum dat, & privilegij vim habet, *Glossa in capitulo præfato super quibusdam, in verbo: Non extet, Abbas, ibidem, numero*